PROPEMPTICON IN FOELICEM ABITUM NOBILITATE GENERIS, DOCTRINA, AC MODESTIA PRAEDITI...

David Willmann

Digitized by Google

EPIGRAMMA
AD VTROSQVE.

Ἐστὲ πορευόμενοι δύο μοι ἕνα φίλτατοι οἶμον:
ὁ τρίτος ἴσθ᾽ ἀγαθὸς σύνδρομος ὔμμι Θεός.
ὣς ἂν ἔσοιτο πόρος μάκαρ, ὡς σφέτερόν τε δρόμημα,
καὶ τέλοι ἡ σπουδὴ ὄλβιος, ἠδὲ πόνος.
σὺν Θεῷ εὐτυχέως ὡς πράγματα πάντα τέλοιντο,
ταῦθ᾽ ὁ μὲν οὐράνιος μοῦνος ὀφέλλει ἀεί.
καὶ Θεὸς εὐσεβέων ἀνδρῶν ἐνὶ μέσσῳ ὑπάρχει,
οἳ περὶ τῶν ἁγίων πάντα λαλοῦσι λόγων.

D. W. S.

PROPEMPTICON.

SI viget humanæ quædam coniunctio mentis,
Si ſuus eſt animis hæret amorq; bonis.
Vt mihi ſunt animi certi præſagia vera,
Eſt ſua naturis inſita vis, & amor.
Quid vetat alterno ſi nos ſociemus amore,
Cura ſit & ſocij iura fouere pij?
Quos iuuat vnius ſectari caſtra cohortis,
Et quibus eſt eadem ſors, ſimiliſq; via.
Quiq; pari ducti conamine ſedulò pergunt
Aonidum dulces iſſe rediſſe vias.
Hîc vel amicorum ſi ſunt commercia grata,
Sanguine materno quæ ſociata vigent.
Sunt, puto, grata magis ſociali fœdere iuncta,
Quæ morum probitas auxit, amorq; pius.
His multò integrior mens eſt, & candida Virtus,
Plus animos quæ, quàm corpora Sanguis, agit.
Hæc ſubit ancipitis diſcrimina maxima vitę,
Nec refugit dubiæ tædia longa viæ.
Sed per inacceſſos ſaltus, inamœnaq; rura
Errat, vt amiſſam reddat & addat opem.
Sic omni æqualem ſe tempore præbet amico,
Nubila vel fuerit ſiue ſerena dies.
Vera dat exhauſtæ curis ſolamina menti,
Cumq; hilari rurſum gaudia læta capit.
Miror vt aſpicio naturæ ſemina noſtræ,
Quàm mirè ſuperum denotet eſſe Deum.
Qui regat immenſum mundum, qui dirigat actus
Humanos, hominum difficileſq; vias.

Nec mirum eſt, eadem monſtrent animalia quando
Cætera, prudenti quæ ratione carent.
Nam velut haud noſtram fallit ſententia mentem,
Vera ſed eſt cunctis fama probata viris,
Conſequitur iuſta pietate Ciconia patrem
Quò fugit, aut vnquam quæ meat vſq; loca.
Sic etiam hoc anni præſenti tempore, lucens
Quo Sol retrogradis incipit ire vijs.
Et quo terra ſua ſe claudit rurſus in aluo,
Nec præbet violas, purpureasq; roſas.
Cernis aues longo collectas agmine paſsim
Hic loca poſt illic quærere tuta ſibi.
In quibus effugiant horrentia frigora brumæ,
Et reparent nidum ceſpite quæq; ſuum.
Hic videas qua ſe cura comitentur euntes,
Quaq; colant ſocium ſedulitate ſuum.
Non vis vlla poteſt, regio nec diſsita quamq;
Lædere, quò ſocium deſerat illa ſuum.
At ſua cuſtodem circum benè caſtra fidelem,
Excubias teneat quæ vigil, arte locant.
Ne vis immineat quædam, ſed tempore noctis
Laſſa ſoporifera quæq; quiete cubat.
Sic vos conſequerer loca qui peregrina parati
Iam celeri cupitis fortè ſubire gradu.
Promptus & extremis ſocios comitarer in oris,
Cum quibus vna mihi mens fuit, vnus amor.
Par ſtudium: ſimilis pietas: eademq; voluntas:
Par ratio vitæ: parq; in amore fides.
Vos vnà ſequerer quà iam properatis ad vrbem,
Si velut idem animus ſors ſimul vna foret.

Sed

Sed cum fata vetent nos ſemper corpore iunctos
Eſſe; ſat eſt animi vincula iuncta fore.
Vos decet hinc alias, Summo duce, quærere ſedes,
Quæ fruges vena fertiliore ferant.
Id monet Autumnus, præſentia tempora ſuadent,
Dulcia quæ cornu diuite poma ferunt.
Cum reliquis, quas terra dedit cultiſsima fruges,
Nunc quibus agricolæ ſe recreare ſolent.
Quippe ſuis iam ſe iactat vindemitor vuis,
Conficit & grauida vite ſuaue merum.
Nectaris hoc dicas hyblæos eſſe liquores,
Quod fuit ipſorum potio grata Deûm,
Sicut & illa potes cœleſtia pabula ferre,
Quæ pyra cum pomis fertilis annus habet.
Carpite dum vobis liceat conuellere poma,
Quæ non tam ſubita ſint moritura die.
Cernitis vt Formica legat ſibi ſedula flores,
Viuere quês hyemis tempore docta queat;
Et ſimili ſtudio vobis acquirite flores,
Quales Muſarum ſaltus amœnus alit.
Sint quamuis gratæ violæ, dulcesq; Hyacinthi,
Qui paſcunt viſu lumina noſtra ſuo.
Non tamen vt flores Muſarum pectora tangunt,
Atq; ferunt animis gaudia longa bonis.
Sed citò marceſcunt, Solisq; hos deijcit æſtus,
Et qui manè virent Sole cadente cadunt.
Quærite ſed durent qui toto tempore vitæ,
Quos Heliconiadum mons habet ipſe ſacer.
Huc celeri veſtros iam iam pede flectite greſſus,
Nec mora ſit bifidi montis adire iugum.

 Hic

Hic vbi Roſtochij ſtant atria celſa Lycæi,
Balthica quæ nitido littora fonte rigant.
Si placet hic digitis pulchros decerpite flores,
Nam dabit admota dulcia poma manu.
Quæq; Roſæ de ſe fragrantis ſpargit odorem,
Aurea Caſtalij pocula fontis amat.
Et varias præbet frutices, gratiſsima dona,
Florea mella quibus ſedula ſtipat apis.
Hic Aganippææ ſua fundunt munera Muſæ,
Atq; canit dulci blanda Thalia Chely.
Ore canunt, manibus ſua donant munera, mente
Quæq; notant, digitis plectraq; docta mouent.
Quàm gratum eſt, tali iuuenem latitare ſub herba,
Qua reſidet Clarij turba nouena chori.
Et ſua quam circum Phœbus tentoria figit,
Grata ferens Muſis grata ferensq; viris.
Adde quod Aethereus ſimul illa negocia tractet,
Quando ſuum referant nomen, & ore canant.
Sicut & hîc celebrant præconia vera Tonantis,
Atq; docent ſummi cœlica verba D E I.
Inter quas meritò recipit loca prima Chytræus,
Vnica Roſtochiæ lausq; decusq; Scholæ.
Heſperus vt ſtellas inter, ſic emicat ille
Inter doctiſonos quos fouet illa viros.
Eſt ſua laus reliquis: ſed hic vnus adauget honorem
Præcipuè Chriſti, quem colit, ore refert.
Hic tradit purè ſacri myſteria verbi,
Atq; fugit ſtudio ſchiſmata tetra pio.
Poſtera gens ideò docto numeroſa Chythræo
Grata feret, nomen ſemper ad aſtra vehens.

Sed

Sed modò viuus adhuc propaget dogmata ſancta,
Quæ monſtrent rutili regna beata poli.
Auribus hunc auidis aduertite magna docentem,
Et reliquos doctæ lumina ſumma Scholæ.
Id monet in primis, multum dilecte Ioannes,
Patruus ingenua nobilitate grauis.
Qui fauet ipſe bonis ſtudijs, & promouet illa.
Quantacumq; modò ſedulitate poteſt.
Cuius & auxilio regitur Pomeranica tellus,
Qui Pomeraniacæ firma columna domus.
Vnus adeſt, quo ſe recreat ſub pace benigna
Barnimus, quem iam cana ſenecta premit.
Te, Pater, & fratrem moriens iam tradidit huius
Curæ, quem fidum noſceret ille virum.
Et res teſtatur, quo vos complexus amore
Sit, velut obſeruans viuus vtrumq; pater.
Præſtitit hoc, quo vix dignentur nomine pauci;
Proſpexit veſtræ commoda cuncta viæ.
Huic iterum iuſtum decet vt præſtetis honorem,
Quiſq; ſuum Patrem nuncupet, atq; colat.
Id cupit & Mater ſanctæ pietatis amatrix,
Quæ ſimili verè vos pietate fouet.
Scitis vt hæc lacrymis toties precibusq; monendo
Inſtitit Aonidum vos pia caſtra ſequi.
Hæc pro pectoribus dilectæ cura parentis
Inſideat, quiſquis ſemper honeſta velit.
Sed Patriæ magnum decus, inde future Ioannes,
Iam pete Roſtochij docta palæſtra gregis.
Perge ſacras ſtudio Muſas addiſcere, perge
Moribus & literis nobilitare genus.

Qui

Qui virtute valet, ſalubres perdiſcit & artes
Nobilis eſt, reliquos barbara vita manet.
Sit comes adiunctus tibi, mente Georgius æqua,
Et ſua cui Muſæ dona dedêre ſacræ.
Quiq; fide præſtans operam, quam debuit, omnem
Te primus Clarij duxit in arua chori.
γράμματα te docuit rectè cognoſcere prima,
Quem noſtra & fratrem linquis in vrbe tuum.
Quo potuit ſtudio perfecit id acriter omni,
Collapſis annis iam ferè quinq; citis.
Nunc decet vt ſimili cura comitetur euntem,
Et minuat longæ quæq; moleſta viæ.
Nam quem Muſa mihi Theſæo iunxit amore,
Rebus in aduerſis dulce leuamen erit.
ASpirent Superi ſtudijs, & cœpta ſecundent,
Atq; eat hinc quouis mollior aura die.
Sit Deus ipſe viæ cuſtos, & noxia pellat,
Pellat & inferni tela nociua Ducis.
Quin Chorus æthereæ claſsis deducat euntes,
Qui vigil obſeruat nocte dieq; pios.
Ite bonis auibus, placidis attingite fatis
Quò fugitis Roſei ſplendida tecta ſoli.
Ite, ſed interea ſocij meminiſſe iuuabit,
Talia quem verus ſcribere iuſsit amor.
Quod precor hinc ſeros vos Chriſtus ſeruet in annos,
Et tribuat Pylij tempora longa ſenis.
Patria quò tandem vos lumina clara ſalutet,
Vtiliter quorum terra regatur ope.

F I N I S.